



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXIX. Iuramentum ab aduocato praestandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

uisim, iuxta eorum consuetudinem vel statutum :
pro varietate quoque cuiuslibet prædictorum, ha-
beat vniuersusque sigillū nomen , puta dignitatis,
officii, collegii, & etiam illorum proprium nomen,
qui dignitatis vel officii perpetui gaudent honore,
insculptum notis & characteribus manifestis, sic
que sigillum authenticum habeant. Denique illi
qui temporale officium suscepint , puta decani
rurales, & officiales, sigillum suum, quod tantum no-
men habeat insculptum, finito officio, ei a quo ha-
beant officium, continue & sine mora resignent.
Sane de custodia sigillorum curam haberi præcipi-
mus diligentem , scilicet vnuſquisque per se illud
custodiat, vel vni soli, de cuius fide confidat, custo-
diendum committat : qui etiam iuret quod fideli-
ter illud custodiet, alicui nec etiam ipſe aliquid inde
sigillet , ex quo possit alicui præiudicium generari,
nisi quod dominus eius prius legerit & viderit dili-
genter , & sic præceperit sigillari. In facienda vero
sigilli copia fidelis & prouida sit cautela ; fidelis,
vt indigentibus de facili præbeatur ; prouida, vt
falsis & fraudulentis penitus denegetur. In princi-
pio quoque vel in fine cuiuslibet scripturæ authen-
ticæ sufficientem datam inseri statuimus diei, tem-
poris , & loci.

XXIX.

Clamorem iustitiæ audiuiimus conquerentis,
quod etiam nimis impediunt per cauillationes &
versutias aduocati, negant plerumque per ignoran-
tiā iudices imperiti, & illudunt eis per contuma-
ciam s̄æpe partes. Nam contingit aliquando, quod

GREGORIUS LONDONIENSE. FRIDERICVS II. IMP.
P. IX. HENRICVS III. R. ANGLIE. 365

ANNO CHRISTI
1137 missus in possessionem, causa rei seruandæ, ipsam
retinere contendat, licet aduersarius redeat infra
annum, & iuri per omnia satisfacere sit paratus.
Aliquando vero qui in possessionem missus fuerit
nec infra annum, nec post quamquamcumque ve-
rus constituatur possessio, valet illam possessionem
resistente cum armis aduersario adipisci. In adiu-
torium itaque iustitiæ assurgentes, approbatione
Concilii statuimus, vt qui aduocati officium vo-
luerit generaliter promereri, apud diœcesanum,
cuius origine vel domicilio iurisdictionis existit,
præbeat iuramentum, quod in causis quarum pa-
tronus extiterit patrocinium fidele præstabit, non
ad differendam vel auferendam alterius parti iu-
stitiam, sed ad causam clientuli legibus defenden-
do & rationibus. Alias autem non admittantur in
causis matrimonialibus & electionibus, nisi iura-
mentum simile voluerint præstare in eisdem, sed
nec in aliis coram ecclesiastico iudice vltra termi-
nos tres absque iuramento huiusmodi admittan-
tur nisi pro ecclesia sua, vel domino, aut amico
notorio vel paupere, seu extraneo, vel persona
miserabili, duxit forsitan postulandum. Cauent
omnes aduocati, ne per se vel per alios testes subor-
nent, vel partes instruant, falsum ponere vel sup-
primere veritatem: qui contra fecerint, ipso facto
ab officio & beneficio sint suspensi, quo usque super
hoc satisfecerint competenter, & alias nihilo mi-
nus, si de his coniuncti fuerint, pœna debita pu-
niantur. Iudices quoque iuris ignari, si dubium
quid emerserit, ex quo possit alterutri partium

Zz iij

366 GREGORIVS CONCILIVM FRIDERICVS II IMP.
P. IX. HENRICVS III. R. ANGLIE.

graue præiudicium generari, expensis vtriusque a-

licuius consilium aduocet sapientis.

XXX.

Statuimus insuper, vt, in quantum poterunt, constitutionem generalis Concilii, tam in ordinariis quam extraordinariis iudiciis obseruantes, acta originalia & authentica diligenter ac fideliter penes se custodiant, vel per scriptores suos faciant custodiri, vt partibus inde, vt debuerint, copiam faciant: quibus omnia postquam scripta fuerint, præcipimus, & præcipiendo statuimus publicari, vt, si erratum fuerit in scribendo, corrigatur, & vt veritas possit de his quæ acta fuerint liquido apparere.

XXXI.

Prouideant præterea iudices, vt cum aliquem decreuerint in possessionem mittendum, ob contumaciam partis aduersæ de restituenda possessione cum fructibus, si quos inde percepit, deduetis expensis legitimis, si aduersarius infra annum redierit ad mandatum ab eo qui mittendus fuerit, congruam recipient cautionem. Illum quoque, qui possessionem possidere præsumperit violenter, in quam ob eius contumaciam alias missus fuit, & post annum verus possessor etiam constitutus, iure, si quod habuit in ea re, decreuimus fore priuatum.

Hæc cum tertia die peragerentur, incepit dominus legatus solenniter, Te Deum laudamus, omnibus assurgentibus. Et postea incepta antiphona, In viam pacis, cum psalmo, Benedictus Dominus Deus Israel, dictisque collectis specialibus, & data benedictione cum non paruo gaudio recesserunt.